



Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Constitutiones Variorum Pontificum in præcedentibus Editionibus
desideratas, summoque studio hinc inde conquisitas complectens

Luxemburgi, 1741

Alexander II. Quando quidem &c. Confirmat Harlebeccani Collegii
Canonicorum Institutionem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74452](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74452)

ANN O
1061.

ut scandalis utantur, concedimus, & constituimus.

Posse auctoritatem, & honorem, quem Ecclesia hactenus habuit tam inter alios, quam à suis, confirmamus Clypeo Apostolicæ protectionis, ut si quando Synodus infra tuam Diocesim, aut præsentem hujus primæ Sedis Archiepiscopo, aut Legato ab ejus latere directo fuerit aggregata, priorem quidem locum, post ipsum Rectorem ejus obtineat, in proferenda sacrorum Canonum auctoritate prior existat ita tamen, ut sicut est prior in hac probabili dignitate, ita etiam polleat prior motum probitate, vitæ honestate, ut cujus enunciaverit verba, ejus incitetur exemplo.

Regiam consecrationem infra limites suæ Diocesis faciendam, potestatis Apostolicæ munimine ei corroboramus. Habendam electionem quoque Archiepiscopi secundum Auctoritatem Canonicam, filiis Ecclesiæ sancimus per hanc præceptionis nostræ paginam.

Bona autem quæ usque modo tenuit, vel in æternum cum justitia acquirere poterit, hoc Apostolico munimine laudamus, & corroboramus, videlicet Monasteria, & Ecclesias Coloniae postas, Monasterium Sancti Heriberti cum omnibus suis pertinentiis, Ecclesiam Sanctæ Mariæ infra Urbem, Ecclesiam Sancti Gerdonis cum omnibus suis pertinentiis. Cætera verò sacra loca, & infra urbem, & circa confirmamus Tibi auctoritate Apostolica: Monetas vobis, teloneum, & omne Jus Civile sub potestate Archiepiscopalis.

Abbatias autem per diversa loca, villas, vicus, & castella in omnibus suis pertinentiis, servis, ancillis, terris cultis, & incultis, aquis, pratis, campis, sylvis, Forestis.

Præterea corroboramus Ecclesiæ Prædia, quæ ipse dedisti, videlicet Monasterium Braunellare, & Caltrum nomine Zoneburg cum omnibus suis pertinentiis, ita sicut neminem Co-Archiepiscoporum Tibi subjecimus, ita sub nullo Primatate te agi decrevimus, salva nobis in te, sicuti in cæteris Archiepiscopis, quæ jure debentur Apostolicæ subjectionis auctoritate.

Statuentes Apostolica censura, ut nullus Imperator, Rex, Dux, Marchio, Comes, Vicecomes, & præterea nullus Archiepiscopus, Episcopus, Præpositus, vel aliqua magna, parvaque persona cujuslibet ordinis, & dignitatis contra hanc nostræ præceptionis, & confirmationis paginam audeat præsentare.

Si quis, quod non optamus, temerario ausu contra hujus Apostolicæ nostræ auctoritatis scriptum piè a nobis pervulgatum tentaverit, anathematis vinculis innodatus à Regno Dei sit alienus donec resipiscat. Qui verò pio intuitu cultor, & observator extiterit, benedictionis gratiam, & celestis regni gaudia à misericordissimo Domino nostro consequi mereatur.

Data nonis Maji per manus Friderici Diaconi Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Bibliothecarii, atque Cancellarii, vice Domini Hermanni, Archi-Cancellarii, & Colon. Archiepiscopi.

Anno Domini millesimo quinquagesimo secundo. Leonis IX. Papæ IV. Indictione quinta.

ALEXANDER SECUNDUS
PONTIFEX CLVIII.

ANNO DOMINI MLXI.

Alexander Secundus, antea dictus Anselmus, ex Episcopatu Lucensi, ad Pontificiam evehctus sedem anno 1061. quo tempore Schisma in Ecclesia, quippe Cado-

lus Episcopus Parmensis Henrici Imperatoris Alexandro se opposuit, inde Bellum obortum. Verum Imperatoris Consilio coacta Matue Synodo, Cadoło exauctorato Schisma sedatum fuit. Obiit Pontifex anno 12. Pontificatus. (*Magni Bullarii Romani Tom. I. hujus Edit. Luxemb. 1727. App. fol. 25.*)

Confirmat Harlebecani Collegii Canonicorum Institutionem.

ALEXANDER EPISCOPUS,
Servus Servorum Dei;

Erleboldo Præposito Harlebecensis Canonice S. Salvatoris, sive in Episcopatu Noviomensi cunctisque suis successoribus regulariter promovendis in perpetuum.

Quando quidem divinæ providentiæ dispensatione universalis administrationis curam suscepimus, ex debito nostri Officii cogimur cunctis Ecclesiis per Orbem terrarum late diffusis providere & utilitatibus earum ac saluti animarum, quæ in eis sunt, solerti studio invigilare, præsertim his locis, quæ pia religione pollere noscuntur, & nostro munimine specialiter quodammodo se tueri humiliter placere deprecantur, qui in eis habitat domino servientium chorus quatenus à turbine Sæcularium adversitatum nostra protectione defensi liberius vota sua continuata Domino reddere, & eodem quo caperunt sancto proposito usque in finem securi perseverare prævaleant.

§. 1. Quare cum interventu præclaræ Comitissæ Adelæ tum tuis devotis precibus flexi, dilecte fili, te ac prænominatam Canonicam, cum omnibus tibi pertinentibus sub tutela Apostolicæ defensionis suspicimus & confirmamus jam dictæ Venerabili Canonice quidquid hactenus habuit tam largitione piissimorum Principum quam oblatione quorumcumque fidelium juxta nobilissimi præceptum Regis Francorum Philippi & præceptum Balduini Noviomensis Episcopi vel deinceps habitura est tam in terris quam in vineis, & villis & Ecclesiis majoribus, & minoribus omnibusque rebus mobilibus, & immobilibus, ita ut non liceat cuicumque Ecclesiasticarum vel Sæcularium magnæ parvæque personæ prænominatam Canonicam de suis omnibus inquietare, vel quid ab eis jure in alienum transferre, salva in omnibus proprii Episcopi reverentia.

§. 2. De ordinando verò Præposito in eodem loco, hoc Apostolica auctoritate sancimus, ut nullus ibi præsumat quemquam præponere contra Canonicam regulam, sed defuncto Præposito uno congregatio eligat vel de eadem congregatione, si ibi idoneus inventus fuerit, vel de alia, quem potiorum vitæ meritum commendaverit juxta canonicam regulam.

§. 3. Si quis verò hujus nostræ sanctionis privilegium spiritus superbiæ ductus contraierit, & illud in totum partemve infregit nisi admonitus digna satisfactione quod in Venerabilem Locum deliquerat, emendaverit, noverit se Apostolici anathematis vinculo innodandum.

§. 4. At verò qui pio intuitu custos & observator extiterit perpetuæ benedictionis abundantia repleatur.

Datum Laterani quinto Kal. Februarii per manus Petri Clerici fungentis vice Petri Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis ac Bibliothecarii. Anno verò ab Incarnatione Domini millesimo septuagesimo, Pontificatus autem Domini Alexandri Papæ II. Octavo, Indictione VIII.

ANN O
1061.I.
Ex Codice
Donationum
Piarum
Auberti Mirai

URBA.